

06

A

1024



67 20



THESIUM TREUTLERIANARUM

VOLUM. I.

DISPUTATIO IV.

06A 1024

DE

IN JUS VOCANDO.

PRÆSIDE

GOTTERIDO SVEVO, D. ET P. P.



Respondente

JOHANNE-GEORGIO PASCHA,

Dresdâ - Misnico.

† 1678

THESIS I.

IN jus vocare, quod experiundi juris causa fit, l. 1. pr. D. de edend. veteri jure actor solus, nullo interdum adhibito Magistratus jussu, ejusve apparitore, poterat, quem si reus sequeretur, actionis editio necessaria erat, d. l. 1. pr. posteaque Prætor, cognitâ aliquo modo causâ, si dandam actionem putaret, judicem constituebat: quam cognitionem de jure proximè sequebatur citatio ad judicem facti disceptandi causâ, *Uultei. discept. c. 2.*

Adjectanea & Explicantia.

I. In jus vocare & in judicium vocare interdum promiscuè usurpantur. l. 1. D. de in jus voc. l. 2. §. 2. D. qui satisd. cogant. l. 28. pr. D. de administ. tutor. diversa tamen sunt.

L

170

Wittkeberg



(In jus vocare est ad Praetorem vocare, sive ad locum, in quo jus redditur, l. pen. D. de J. & J. In iudicium vocare est ad iudicem à Praetore datum vocare. Ibi de jure experiebatur Praetor: hic de facto cognoscebat Iudex. Ibi de negotio constituendo: hic de ipso negotio controverso agebatur. Ibi specimen futurae lites edebatur: hic ipsa lites expediebatur. Vid. Vultei. discept. Scholast. c. 1.)

2. Vocatio in jus manu injecta fieri poterat, si vocatus protinus sequi, aut satisdare nollet.

(Sine jussu Magistratus, vel ejus apparitore non adhibito, fieri quidem potuit in jus vocatio, uti in thesi proponit Autor, idque vel inde probatur, quia in personis quibusdam speciali petitione venia opus erat: quod autem vi adhibita, manuque injecta fieri potuerit, non crediderim, nisi forte in personis vilioribus & latitantibus, nec textus ab Autore allegati violentiam illam & promiscuam raptionem satis evincunt, ut ostendit Robert. 3. Sentent. 1. ubi in fine veteris illius in vocationis sine adhibito Magistratus apparitore vestigia apud Turcas extare dicit. Vide Bachov. hic, qui argumenta contraria resolvit. De modo autem in ius vocandi per antestationem sive denunciationem iudicii, per tertium, tanquam testem, qui Antestatus dicebatur, factam cum ritu tangenda auriculae memoriae causa vide. Brissou. l. 5. de formul. & solen. Pop. Rom. & Robert. d. c. 1.)

3. Actionis editio necessaria erat, ut sciret Reus, an cedere vellet, an contendere, l. 1. D. de edend.

(Adeoque in prima hac comparitione, sive, ut hodie loquimur, in primo termino fere tantum dilatio petebatur & dabatur, ut cognita Actione reus, si contendendum putaret, veniret instructus ad agendum, d. l. 1. pr. D. de edend. ubi Ictus vocabulo agendi in generali significato utitur, & reo quoque applicat, quasi & is, dum respondet ad actionem, & se defendit, causam suam agere videatur)

4. Causae cognitio fiebat per interrogationes in jure, non domi, vel in itinere, non apud iudicem pedaneum. Confessus autem ad interrogata, pro iudicato, tacens, pro contumace habetur.

(Si subsistere debet assertio Autoris, quod cognitio tantum pro tribunali fieri possit, manus utique ex ejus sententia adhibenda est, & in l. 4. D. de interrogat. in Jur. faciend. pro vel domi, legendum, non domi, quae emendatione non opus est, si cum Bayardo, Roberto, & aliis statuamus, ea quoque quae posita sunt
filla

sellâ apud Prætozem expedita sunt, dici in jure esse facta. Nec improbabile est, ob negotiorum varietatem Prætozem domi, vel alio in loco, extra tribunal, sellâ positâ jus dixisse, maximè in iis, quæ pleniorẽ causæ cognitionem non requirebant. Sed his ab usu nostro remotis diutius immorari nihil attinet. De confesso quod addit, eum pro judicato haberi, intelligendum est de confessione super principali causa, non super quodam forte articulo.)

5. Cognitâ causâ Prætor judicem dabat, & quidem sortito, donec inveniret, qui utrique litigantium placeret, etiam cæcum, si in eum cõsentirent.

[De cæco an is Judex esse possit, infra rectius videndum erit, disp. 8. t. b. 2. lit. b. & disp. 12. t. b. 7. lit. c. Alias sortito judicem eligi debuisse, tum ex Ascon. Pædiano rectè probat Vultei. d. cap. 1. tum ratio firmat, omnia judicia sine suspecti judicis opinione procedere debere.)

TH. II.

Verum hac procedendi ratione mutatâ hodie actionis editio judici offertur, idque vel per libellum supplicem, [nostri supplicationem vocant, *l. un. C. de precib. imper. offerend.*] vel eo omisso per libellum, quo ipsa actio protinus introducitur. Ex qua editio ne si apparet, actionem competere, decernitur processus & citatio. Citatio est actus, quo quis mandatu judicis juris experiundi causâ in judicium vocatur; estque realis, vel verbalis, *Gail. 1. obj. 48. n. 12.* Illa per apprehensionem personæ; hæc aut privatim per apparitorem, vel literas, aut publicè edictis propositis fieri solet.

Adjectanea & Explicantia.

I. Vetus ille procedendi mos non Constantini tempore, qui formulas sustulit, sed sensim deficere capit, dum Iustinianus Imp. certum numerum judicum constituit in Nov. 82 c. 1.

(Cum Diocletian. & Maximin. Imp. Præsides ipsos judicare voluerint, nõ demum ad Iustinianam, sed ad illorum Imp. tempora mutatio referenda erit.)

2. Libellus supplex, & libellus actionis inter se differunt. Ille cita-

tionis & processus: hic actionis & meritorum appellatur, & citatione interdum prior, interdum posterior est.

(Differentia inter libellos ratione contentorum & petitorum vera est; altera autem de libello actionis est otiosa. Nam ex eo saltem citatio & processus decernitur, & merita causa suspenduntur, unde per se patet, libellum actionis, quoad Processum extrahendum, priorem citatione, quoad cognitionem meritorum posteriorem eadem esse.

3. Citatio realis fit per apprehensionem personae, quae de fuga suspecta est. *(Incongruè dicitur citatio, melius dixeris ipsam apprehensionem & Arrestum personale: quod in Criminalibus potissimum, in Civilibus interdum locum habet)*

4. In Nundinis ob debitum nemo apprehendi vel carcerari potest, nisi in iis contraxerit, vel ibi soluturum in se receperit.

(Existimat Bachovius hic pro nisi in iis, legendum esse: etsi in iis, Sed sine causa. Voluit enim Autor eorum sententiam defendere, qui à privilegio Nundinarum excipiunt debitum illud, quod in ipsis Nundinis contractum est, pro quo, durantibus Nundinis, recte arrestum adversus mercatores decerni posse statuunt Petrus Peck. de jure sistend. c. 4. n. 4. & c. 10. n. 16. post plures alios, quos sequitur Berlich. p. 1. concl. 77. n. 8. Quorum sententia licet de jure Communi procedat; de Jure Saxon. tamen verius est, ne quidem pro debito in ipsis Nundinis contracto; mercatores, vel bona illorum derineri posse, etiamsi de fuga, aut dilapidatione suspecti sint, ob generalitatem Constit. Elect. 30. p. 1. §. wir wollen aber sonderlich/ & rationem ibidem allegatam, à libertate commerciorum in ipsis Nundinis desumptam. Pertinet autem Privilegium hoc Nundinarum ad solos Mercatores, eorumque bona; alii verò, qui mercatores non sunt, eorumque bona, pro debitis in ipsis Nundinis arrestari possunt. Sicut & bona ipsorum Mercatorum, post Nundinas per signum campanae finitas, Wann der markt ausgeleutet worden/ arresto sunt obnoxia, quocumque in loco deprehendantur, Dn. Carpzov. p. 1. const. 30. def. 28. Ubi peculiari Rescripto Elect. de Anno 1621 id approbatum refert. Renunciari quoque privilegio Nundinarum posse, de Markt-Freyheit/ dubitandum non est, quod itidem ex Rescripto quodam Elect. Augusti de Anno 1581. Dn. Carpzov. d. loc. def. n. 27. Quod in fin. t. b. addit Autor, citationem interdum publice per praconem, tubam, aut campanam fieri, id reprehendit Bachov. ideo, quia is modus sit convocandi universitatem.

Verum

71

Verum in Criminalibus contra reum absentem vox praconis, aut campana est loco citationis publica, quod plurimorum Judiciorum mores probant.)

THESES. III.

Continere porro debet citatio legitimè concepta nomen & cognomen Judicis, item ejus, qui citatur, & ejus, ad cujus instantiam fit citatio, causam, locum judicii, & terminum, qui ad comparendum sit idoneus.

Adjectanea & Explicantia.

1. Plures litis consortes in specie citandi sunt. Collegium autem vel Civitas generaliter citatur.

(Jure Saxonico etiam plures consortes, maxime si diversa domicilia habeant, singulatim citari debent, reliqui, non citati, nec comparentes, poenam contumaciae non tenentur, Ordin. Jud. tit. 4. vers. würden auch mehr litis consorten. Idemq; obtinet in pluribus coheredibus, qui post divisionem diversis in locis domicilia habent, d. tit. 4. §. undsolches/ quia actiones hereditariae activè & passivè ipso Jure inter eos dividuntur, pro rata portione hereditaria. Si tamen filii post motam defuncto litem divisionem Feudorum Saxonorum, & a libi sitorum suscipiant, heredes generaliter saltem citandi sunt, facta insinuatione citationis in feudum Saxonicum, quam possessor coheredibus deinde transmittet, d. tit. 4. vers. begeben sich aber. Unde in his causis frequentes sunt exceptiones plurium consortium, vel heredum, sive non omnium citatorum, quorum interest. Vid. Berlich. p. 1. concl. 10. n. 34. & seqq. ubi & n. 49. de citatione Communitatum assertionem Auctoris confirmat.)

2. Causa ad substantiam citationis pertinet. In genere tamen eam exprimi sufficit. Inserto autem citationi tenore libelli induciae deliberato-riae reo ulterius non dantur, & litis pendentia inducitur.

(Adde c. 2. X. de dilat. Clem. 2. ut lit. pendent. nihil innovet. Idem confirmat Ordin. Jud. Saxon. d. tit. 4. ibi: Darmit der citatus jedesmahl, wozu er eigendlich geladen sey/wissen möge. Sive autem tenor libelli sive supplicationis citationi inseratur, ut fit in Curia Provinciali, sive libellus ad minimum in copia una cum citatione transmittatur, sive causa saltè in ipsa citatione aperte

Et sufficienter exprimat, perinde est, semperque huiusmodi citatio duplicem illum effectum, quem Autor proponit, operatur. Idq; aperte probat d. c. 2. Et d. Clem. 2. unde ad unicum saltem modum restringi non debebat.)

3. Citatus ad certam causam, ad aliam, ad quam non citatus est, respondere non cogitur, Gail. 7. obs. 51. n. 7.

(Basis Et fundamentum Iudicii est citatio, quæ deficiente processu redditur nullus. Eaque nec in summaris causis in quibus itidem aliquâ causæ cognitione opus est, omitti potest. Zanger. de Except. p. 1. c. 2. n. 5. Et seqq. Berlich. d. concl. 10. n. 17. ubi Et dissentientes allegat.)

4. Citatus ad locum non tutum, vel in honestum, non cogitur comparere; Clem. 2. de sentent. & re judic. c. 4. X. ut lit. non contest.

(Hæc exceptio loci non tuti dilatoria quidem est, attamen etiam post litem contestatam opponi potest, cum semper gravet, sive gravamen successivum in se contineat. Est autem locus non tutus vel ob hostilitatem, vel ob pestem, vel si citatus periculum injuriæ alicujus, vel corporis aut incarcerationis timeat, etiam in locis, per quæ transire cogitur, Vid. Zanger. de Except. p. 2. c. 5. n. 5. Et seqq. ubi n. 8. de securitate sive salvo conductu, sicher geleit / qui ad avertendâ carceris vel offensionis periculum Reis, præstitâ tamen cautione, Iudicio sisti, dari solet, fusius tractat.)

5. Dies quidem, non autem hora de necessitate inseritur citationi, nec dies assignationis computatur in termino, l. i. D. si quis caut. in judic. sist. c. 1. de restit. spoliat. in 6. c. 1. de except. in 6.

(Citatus enim intelligitur ad horam consuetam. Pro ratione styli tamen quorundam Iudiciorum etiam hora aut tempus diei exprimi solet, das Jhr als dan zu rechter frührer tages zeit vor uns erscheinet. Quomodo citatus si post meridiem compareat, pœnam contumaciæ non incurrit, Vid. Arum. x. decis. 11. per tot. Illa autem communissima sententia est: dies termini non computatur in termino. E. gr. Judex hodie assignat alicui decem dies ad comparendum, hodiernus dies non computatur in terminum, cum hic intelligatur de diebus proximis, Mynsing. cent. 5. obs. 5. ubi hanc sententiam in Camera observari ait. Sic dies interpositæ leuterationis ad terminum petendæ citationis ad prosecutionem scil. 6. septimanarum Et 3. dierum non computatur, nec dies oppositæ Exceptionis spoli ad terminum probatorium 15. dierum, Moll. 1. Sem. 7. Aliud est, quando tempus à momento in momentum currit, ut in interpositione Leuterationis

tionis, Appellationis, Arresti. Tunc enim dies termini computatur in terminos
Vid. Rauckb. p. 1. qv. 3. n. 6.)

TH. IV.

Citatio autem, quamvis legitimè concepta, expediri nequit, nisi accedat commissio Judicis, quæ fieri debet nuncio, ut executionem citationis faciat, de qua executione requiritur executoris relatio, quæ ita facta refertur, sive registratur ad acta.

Adjunctanea & Explicantia.

1. Mandato Judicis fieri debet citatio, sive realis, sive verbalis, quod mandatum probandum est.

(Frustra hic argutatur Bachov. incongruè loqui Autorem: commissio judicis nō presumitur, nisi probetur, quia, ait, quæ probatur, nō amplius presumuntur. Constat satis de mente Autoris, commissionem nimirum, quia facti est, ideo non presumi, sed probandam esse. Si tamen & nomen Judicis, & sigillum Judicii in citationis literis appareat, & de insinuante constet, eum esse nunciū s. ministrum judicii, pro mandato vel commissione judicis presumi dixerim.)

2. Executio citationis in Camera fit per nuncios juratos, aut per Notarios immatriculatos, de quibus Vid. Ord. Cam. p. 7. tit. 38. & sequibus creditur ob juramentum. Aliàs traditio Citationis probanda est.

(Idem judiciorum omnium usus observat. scabellionibus vel Nunciis juratis creditur; insinuatio autem per alium facta, vel per schedulam & confessionem citati, vel alio modo, per testes probanda est.)

3. Insinuanda est citatio ipsi citato. Unde citatio mariti per nuncium uxori facta nihil præjudicat marito, licet non compareat.

(Unde totâ die ita pronunciat: würde Kläger gebürend beybringen/das die Citation beklagtem selbst insinuiret worden/so ergienge darauf ferner was Recht ist. Aut si Actor hoc casu contumaciam Rei non comparentis accusaverit, hoc modo pronunciat: Das die eingebrachte ungehorsahms beschuldigung gestalten sachen nach nicht stat habe/ adeoque in expensas reus condemnari non potest.)

4. Si

4. Si citandus conveniri nequeat, citatio ad domum ejus fieri debet, aut eo loco publicè affigenda, ubi ad notitiam ejus facile venire potest.

[Verum hoc est, si citandus ex sua culpa absit, quem casum expresse præsupponit Myns. cent. 1. obs. 69. ubi id ita observatum refert in causa contra Philippum Landgravium Hassiæ, tunc in custodia Caroli V. Imp. agentem. Alias reo ex probabili causa absente citatio ad domum, vel affixio publica, ut & citatio Procuratori facta non sufficit, uti vult Autor sub lit. c. male in eam rem allegans Myns. 1. obs. 9. qui loquitur de citatione Procuratoris in causa appellationis.)

5. Si Procurator litem contestatus sit, Dominus absque eo citari nequit, ad reliqua peragenda. l. 22. C. de Procurat. c. 2. de Procurat. in 6,

(Post litem contestatam Procurator fit Dominus litis, ideo mandatum ipso invito revocari, aut is à gerendis negotiis repelli non potest, nisi ex justa causa, puta inimicitie, morbi, affinitatis cum adversario contractæ, vid. d. l. 22. d. c. 2. Procurator tamen Dominum, quo minus unà cum ipso jure cause adsit, prohibere nequit, d. c. 2. in fin.)

6. Citationis Executio die Dominicâ, similibusque Festis, licet ad diem non Festum, fieri non potest, l. fin. C. de feriis.

(Contrarium habet Gail. 1. obs. 53 n. 5. Neque dixero citationem ideo nullam esse, quia die Dominico insinuata est, neque usu id observatur, neque d. l. fin. aut l. 2. C. de fer. adversatur, quæ saltem causas vel lites, item executiones, vexationes, urgentes admonitiones, horridam Preconis vocem, quæ sc. ad præstandum aliquid adigat, quiescere jubet; quæ omnia insinuationi citationis applicari non possunt, cum actus solum extrajudicialis sit, qui absque cause cognitione non à judice, sed à nuncio, absq; turbis & impedimentis expediri potest.)

7. Relatio Nuncii unà cum omnibus circumstantiis, cui, quando, quo loco insinuaverit, diligenter ad Acta referri debet, eique creditur ob fidem personæ semel approbatam.

(Est hæc relatio actus substantialis judicii, ita ut si de insinuatione legitime facta non constet ex Actis, citatus nec ad expensas, multò minus ad deductionem legitimi impedimenti, in die Ehehafft/ aut alias in contumaciam condemnari possit. Idq; ipsum requirit Ordin. Cam. p. 1. tit. 38. it. Saxon. tit. 4. ibi: Die

Die insinuation wann/wie/an welchem orthē/und wem sie geschehen mit fleiß
registriren lassen/Vid. Berlich. concl. p. 1. concl. 25.) 75

I H. V.

Omnis autem Jūdex sive ordinarius, sive delegatus committere citationem, & quidem ad petitionem partis, debet. Extra territorium autem citanti impune non paretur.

Adjectanea & Explicantia.

1. Delegatus Jūdex tenorem suæ Jdictionis citationi inferere, aut mandatum in copia transmittere, imo & reo comparenti & petenti ipsum Originale exhibere tenetur, Mynl. cent. 5. obs. 1.

(Delegatus enim alias privatus est, & Jdictione destitutus. Ideoq; cū de ea non presumatur, ut fides fiat, ac probetur necesse est. Ordinarius contra Jūdex naturalem & perpetuam habet Jdictionem, Jure communi concessam. l. 5. D. de Jdici. Hodie copia Mandati, des Commission Befehls / cum citatione transmitti solet, hac fere formulā: was der Durchleuchtigste. Unser Gnedigster Churfürst und Herr auff N unterthenigstes ansuchen in sachen &c. uns gnedigst committiret und anbefohlen / solches ist aus bengefūgter abschrift mit mehren zuersehen. Wann dan zu expedirung der gnedigster Commission wir den N. Tag angesetzet und bestimmet / Als ist an statt höchstgedachter Seiner Churfürstl. Durchl. hiermit unser begehren / Ihr wollet angeregten Tages vor Uns (locus) erscheinen &c. causā finali ut in cæteris citationibus additā, aut eā, quæ in mandato commissionis in specie continetur.)

2. Nec is sine citatione judicare potest, qui facultatem procedendi ex arbitrio habet, vid. Coraf. 4. misc. 18.

(Ubi arbitrum dicit, quem ex compromisso partes consentientes ad eundem dirimenda litis gratiā: arbitratorem verò eum, qui non ad lites, sed ad contractus, aliosque actus extrajudiciales adhibetur, puta ad estimandam pretium, ad definiendas partes, societates. Quæ differentia non obscure probatur ex l. 13. §. 2. D. de recept. qui arbitr. recep. in qua arbitrium recepisse dicitur, qui iudicis partes suscepit, finemque se suā sententiā controversis impositurum pollicetur.)

M

EWO

Eum verò, qui saltem intervenit, ut experiretur, an consilio suo vel autoritate discuti litem paterentur, non videri litem recepisse. Unde non male illum arbitrum, & ut addunt alii, arbitrum juris, hunc arbitratorem nuncupaveris. Ille judicat, sententiam fert, & hodie Judex compromissarius vocatur, quasi ex compromisso partium assumptus, eo effectu, ut litem definiat, in cuius sententia partes acquiescant, reservato interdum unico tantum remedio suspensivo, Leuterationis vel Appellationis: hic verò intercedit saltem ut amicabile compositor, Schiedsman/unterhändler/Vid. l. 24. pr. D. locat. l. 6. l. 75. D. pro soc. Coeterum compromissum illud expediendarum litium remedium est, quod inter partes tentare iudex jubetur in Process. Jud. Saxon. tit. 1 §. besonders aber. Et in Commissionibus, ut loquimur, Serenissimus Elector mandat, Ihr wollet die Parthenen eines engen Compromisses mit einander vereinigen/ mit zweyen abgewechselten gesäzen von 14. tagen zu 14. tagen verfahren lassen/ und die Acta an unsern Schöppenstul/oder Juristen Facultät zu N. zum verspruch Rechtsens verschicken/jedem theile nicht mehr als eine Leuterung/ oder Appellation vorbehalten.)

3. In causa publicam utilitatem concernente Judex ex officio citare potest.

(Ut & si videat periculum discordiarum & armorum subesse, si forte partes in communiore bonorum constituti sint &c. In Criminalibus quoque Judex accusatore non existente ex officio procedit adversus reum denunciatum, delatum, vel alias suspectum, citat & inquit, pro natura Processus Inquisitorii. Vid. Robert. lib. 4. Sent. 12.)

4. Si is qui impetravit citationem, non compareat, terminus pro circumducto habetur, instantia perit, & novâ citatione opus est, l. 73. §. 1. & 2. D. de judic.

(Et ita hodie totâ die pronunciari solet in judicio) Provinc. Actore non comparente, Reoque id petente, das beflagter von dieser Instantz zu entbinden/ und ist kläger die verursachten unkosten auff vorgehende liquidation/ und unsere ermessigung beflagtem zu erstatten/auch cautionem de lite prosequenda zubestellen schuldig. B. N. W. Et antequam utrumque illud præstiterit Actor, non admittitur ad agendum.)

5. Citatus ab incompetente, in dubio comparere, & incompetentiâ allegare tenetur, l. 2. pr. D. si quis in jus voc. l. 5. D. de judic.

Vocati

(Vocati enim non debent contemnere auctoritatem Prætoris, dicit J. C. in d. l. 5. Idque verum est, si certum sit, citatum sub J. dictione citantis esse, aut saltem res in dubio versetur. Quod si certum sit & manifestum, citatum J. dictioni citantis non esse obnoxium, comparitione & allegatione opus non est, facit l. 53 §. ult. D. de re judic. Myns. cent. 6. obs. 7. Citatio enim notoriè injusta non adstringit citatum, Gail. 1. obs. 8. n. 10. Vid. Berlich. p. 1. concl. 10. ubi n. 6. paulo aliter inter judicem Ordinarium generaliter, & Ordinarium singularem, vel inter paucos, ut est Dominus feudi, vel curia Domini distinguit, & coram hoc citatum impune non comparere ait.)

6. Qui subditus non est, in subsidium Juris citatur per requisitionem Judicis illius, vel edicto evocatur.

(Dicitur subsidiaria citatio, in qua Judex non ipsum citandum directò citat, sed petit in literis, ut Judex illius Provinciæ citandum in termino prefixo comparere jubeat. Unde cum quidem Academia J. dictioni subjectus, à Senatu, verbis in ipsum directis, citatus, eaq. citatio Magistratui Academico à Senatu transmissa fuisset, addit à petitione de insinuatione citato facienda, recusatum id esse percepi, restituit à ipsi schedulà citatoriã. Quanquam non dubitem, ita cõsuetudine, vel conventionem induci posse, ut Judex citati citationem directam, transmissam eidem, insinuari curet ad petitionem citantis. Edictalis autem illa citatio, sive per edictum publicum, in trium Dominorum territoriis affixum, tunc demum decernenda est, si reus vagabundus sit, aut latitet, Creditores plures & incerti sint, ut nullo alio modo citatio ei, vel iis insinuari queat. Et ita pronunciari solet, das beflagter / Oder des N. hinterlassene Creditores durch Edictal citationes unnd öffentlichen anschlag in dreyer Herren Lande vorzuladen. Et huius Edictalis citationis effectus idem est, qui personalis, ita ut in contumaciam procedi possit, Vid. Rosb. pr. Civ. tit. 37.)

7. Citatus ad unum terminum à superiore & inferiore judice, coram superiore se sistet, si is immediate (i. e. absolute) in citatum J. dictionem habeat: coram inferiore autem, si superior non nisi viâ appellationis adiri possit. Myns. cent. 6. obs. 8.

(Ubi exemplum proponit in eo, qui in pagis à Sculteto, & in alia causa à Comite vel Nobili, pagorum Dominis, ad eundem terminum citatus est, eumq.

coram his, tanquam superioribus, debere comparere ait. Causa tamen gravior, aut quæ moram non patitur, aut quæ tempore peritura est, semper præfertur, & citatus sistere se potest judici, coram quo talis causa vertitur, sive superior ille sit, sive inferior, vid. *Adysf. d. obs. 8. in fin.*]

THESES. VI.

Cæterum citari debent omnes, quorum principaliter interest, quorumque causa agitur, *l. 47. D. de re iudic. l. 39. D. de adopt.* in quibusdam tamen veniæ singularis impetratione opus est, quales sunt Magistratus, qui imperium habent, & coercere aliquem possunt, *l. 2. D. de iniur. vocand. l. 48. D. de iudic.* quod & de Parentibus, Patromis &c. traditum est, *l. 4. 6. 7. 8. 10 §. 5. & seqq. D. de iniur. vocand.*

Adiectanea & Explicantia

1. Sententia contra absentem non citatum, licet in ipsius favorem data, est ipso jure nulla.

(*Frustra hic argutus est Bachov. nō convenire hæc, latam esse sententiam contra absentem, & in ipsius favorem, cum satis constet de mente Autoris, contra absentem i. e. in absentem, vel in causa absentis. Cæterum intelligendus videtur esse Autor de eo, qui nunquam ad causam citatus fuit, non de eo, qui saltem ad audiendam sententiam citatus non erat, cum ipse infra *th. 8. lit. b.* saltem unicam citationem sufficere dicat, de quo ibidem agendum erit.)*

2. Præsens in iudicio, etiam non citatus comparere quidem, actionem tamen propositam suscipere non tenetur invitus.

(*Contradicere huic assertioni ait Bachovius ea, quæ habuit Autor supra in *th. 3.* citatum ad unam causam cogi posse, ut respondeat ad aliam. Sed injuriã facit Autori, qui in *d. th. 3.* negativam sententiam expresse propugnat. Alias ipsum hoc adiectaneum verissimum est. Ideo enim citandus est reus, ut cognitã actione videat, cedere ne velit, an contendere, neve in causa sape magni momenti absq; prævia deliberatione necessaria precipitem se agat. Ex lege tamen allegata *29. §. fin. D. de minor.* vix probare poterit Autor, quod intendit, præsentiam esse loco citationis aut evocationis, vel alternativè requiri, ut aut præsens sit, aut citetur, cum in verbis seqq. dicta *l. 1. C. de Modestinus Decre-**

Decretum restitutionis in integram non evocatis Creditoribus interpositum, iis minimè præjudicare respondeat.)

3. Citandi non sunt, qui ne præsentibus quidem actum impedire, vel nihil allegare possent, l. 1. §. 3. D. de fideic. libert.

(Sphalma typographicum est, & allegare voluit Autor l. 4. §. 3. D. d. tit. in qua Jctus etiam invitis illis, quæ libertatem acceperunt, bona propter libertatem addici posse ait, indeque decidit, præsentibus eos esse non requiri. De casibus aliis omittenda citationis agit infra sub th. 8.)

4. Magistratus minores durante etiam officio in jus vocari possunt l. 32. D. de injur. Majores non itè, nisi pro delictis in officio commissis, l. 4. C. ad l. Jul. repetund. | Nov. 86. c. 14.

(Per quos textus recessum videtur à l. 12. pr. D. de accus. quanquam d. l. 4. gl. Cyn. & Salic. de crimine repetundarum accipiant. Et speciale esse dicunt in eo delicto, quod administrationem afficit, & à quo quamprimum removeri Reip. interest. Quod si periculum sit actionis alias interitura, durante etiam officio Magistratus conveniri potest, ad minimum, ut ad litis contestationem deveniatur, l. 16. D. de offic. Præs. vid. Hillig. ad Don. 17. c. 5. lit. g. Hodie quoque dum perpetui plerumque sunt Magistratus, quin conveniri & accusari possint, dubium non est.)

5. Hodie cum sine permisso judicis nemo in jus vocetur, veniæ impetratione opus non est.

(Eo ipso enim, dum ad supplicationem partis citationem decernit iudex, jam venia impetrata censetur, Schneidev. ad §. 12. Inst. de action. n. 68. Cum debita tamen honoris præfatione actio contra ejusmodi personas, quibus reverentia debetur, instituenda, & ab omni verborum asperitate abstinendū est.)

6. Vasallus Dominum asque veniæ impetratione in jus vocare potest, ex communi Feudistarum sententia, Rosenthal. de feud. c. 10. §. 33.

(Niellus, quem dissentientem allegat Autor, distinguit, an tale quid commiserit Dominus, quo ipso jure Feudo ceciderit, nec ne. Priore casu venia impetratione opus non esse, alias autem eam semper requiri. Sed fundamento destituitur hac distinctio. Generaliter negandum est, venia impetratione opus esse. Nec sufficit ratio, quæ Niellus utitur, personas, quibus reverentia debetur, sine

venia in jus vocari non posse, l. 13. D. de in jus vocand. nisi id nimis latè; ad seni-
ores, Nobiliores, & alios, quibus æque reverentia debetur, extendere velis, quod
& menti] Cui in d. l. 13. & observantia contrariatur. Quod autem in c. un. 2.
F. 22. dicitur, Curiam adire Dominum, eumq; salvâ reverentiâ competenter
cogere debere, id nequaquam ad hâc specialem venia impetrationem porrigen-
dum est, sed ad reverentiam illam, quæ in ipso Processu, & alibi semper illesa
esse debet. Ideo vocabula illa salvâ reverentiâ non præponuntur, sed postponū-
tur aditioni Curia, & sic citationi, ad excludendam nimirum necessitatem im-
petrâre venia ante citationem. Vid. Myns. cent. 4. obs 92. qui tamen diversimode
in Camera judicatum fuisse refert.]

7. Discipulus Præceptorem in reali citatione non nisi cum venia, in
verbali sine venia in jus vocare potest.

(Distinctio hæc vix applicari posse videtur, tum quia Edictum Prætoris de
verbali tantum citatione loquitur, tum quia reali Citationi in Civilibus raris-
simè locus est. Subsistimus in affirmativa, posse hodie Præceptorem à discipulo
in jus vocari sine venia, salvâ tamen ipsius reverentiâ in toto processu.)

8. Privignus novercam in jus vocare potest sine venia.

[Remissivè hoc querit & tractat Autor, & cum Autoribus allegatis affir-
mativè decidit. Et rectè quidem ob l. 3. & 11. C. de furt. in quibus actionem fur-
ti adversus vitricum & novercam locum habere dicitur, nullâ facta mentione
impetranda venie, nec in l. 4. & seqq. D. de in jus voc. talium Parentum, Stieff.
Etern] fit mentio, adeo ut nec distinctio illâ inter affinitatem durantem
& dissolutam opus esse existimem, quam tradit Jason in S. pœnales Inst. de A-
ction. ubi statuit, Patre mortuo novercam in jus vocari posse à privigno sine ve-
nia, quod ipsum frustra negat Hunnius, ex ratione, quia vidua honorem, di-
gnitatem, & forum mariti retineat, quæ ratio sufficiens baud est. Hodie in his
& aliis quæstionibus decisio ex unico hoc præsupposito dependet, decretâ ad in-
stantiam Actoris citatione, cognitâq; personâ citandi, veniam simul impetra-
tam censerî.)

Tb. VII.

Similiter citari nequit iudex, dum causam cognoscit, & qui apud eum causam agit, & similes, l. 2. D. de in ius vocand. Pupilli loco tutor citabitur, verbali, non reali citatione. Citari possunt & ii, qui in vinculis detinentur.

Adjectanea & Explicantia.

1. Qui equo publico in causa publica vehitur d. l. 2. est nuncius, vel alius equo publico in causa publica iter faciens. Nec cum Ravardo & Cujacio legendum est in Capitolium, quasi errore ex Notis C. P. creato, aut cum Hotom. in censu publico, sive de transvectione equitum Romanorum in censu sive lustro.

(Lectioem receptam ex mente Autoris rectè defendit post alios Hilliger. ad Don. 23. Comment. c. 2. lit. X. ubi & similibus personarum, quarum mentio fit in d. l. 2. D. de in ius voc. puta Pontificis, dum sacra facit, ejus, qui propter loci religionem se movere non potest, ejus qui uxorem ducit, aut eius, quæ nubit, ejus, qui apud Praetorem causam agit, ejus qui funus familiare ducit, justave mortuo facit, vel cadaver prosequitur, nuncupationem & veram rationem exponit.)

2. Pupillus, si tutorem non habeat, citari cum effectu non potest, l. 22 D. de in ius voc. l. 45. §. fin. l. 54. D. de re judic. sed vel cognati pupilli citantur, Myns. cent. 2. obs. 35. vel tutor constituitur, quod tutius est.

(Non tamen omnino nullius momenti est citatio in personam impuberis facta, modò infantia vel puberata sit proxima, ita ut cogatur comparere in iudicio, & vel ante terminum, vel in ipso termino Tutorem sibi constitui petat. Neque allegatae leges citationem sive in ius vocationem simpliciter prohibent, sed id solum volunt, contra pupillos indefensos i. e. quamdiutales sunt, nec sententiam proferendam esse, nec Edictum peremptorium aliquid momenti habere.)

3. Mulier realiter citari non potest l. 1. auth. sed hodie C. de offic. divers. judic.

(Non ita simpliciter asserendum est, mulierem nunquam realiter citari posse.

Et

Et d.l.1.cū. Auth. seq. loquitur de matrefamilias, quæ ex propria domo in publicum protrahi, & incarcerari non debet. Quin autem ob contumaciam, aut in Criminali causa mulier realiter citari possit, nullus dubito.)

4. Ex templo nemo extrahi potest, nisi publicus latro, vel voluntarius homicida sit, l.2.C. de his qui ad Eccles.c. 6. X. de immunit Eccles.c.1. X. de homicid.

[Congruit hoc cum sanctione divina Exod. 21. v. 14. ab altari meo avelles eum, ut moriatur. Et generaliter Justinianus constituit in Nov. 17. c. 7. facinorosos, graviorum nimirum criminum reos, ex templo extrahendos, & supplicium iis inferendum esse, cum templorum cautela non detur nocentibus, sed læsis. Vid. P. Heig. p. 2. q. 24. n. 45. & seqq.)

5. Miles, qui in expeditione est, ut & minor, Clericus, Doctores, & Professores, eorumque uxores & liberi, l. 6. C. de Professor. & medic. realiter citari non possunt. Aliud est in Poetis, l. 3. C. d. tit. & Musicis, l. 4. C. de excusat. mun.

(Fragile privilegium, & nullo fundamento subnixum! Imo contrarium experientia firmat, posse eos ob contumaciam, aut si de fuga suspecti sint, realiter citari. Minus dubium est in minore, qui cum delinquere & puniri possit, cur non etiam realiter citari poterit? De Poetis quoque, stante assertione Autoris, aliud dicendum est, si professionem in Academiis exercent. Vid. de Poetis, eorūq; Collegiis, & affinitate cū Jurisprudencia Scip. Gentil. l. 2. Parerg. c. 1. & 2.)

6. Detenti in vinculis citandi sunt, ut per Procuratorem se defendant quem si reperire non possint, adversus processum, in integrum restituuntur, l. 9. l. 15. l. 23. pr. D. eā quib. caus. maj.

(Ita Landgravium Hassie Philippum in custodia Caroli V. detentum citatum fuisse in Camera testatur Myns. Cent. 2. obs. 69. ut supra dictum in th. 4. sub n. 4.)

TH. IIX.

Præterea in omnibus causis cognitionem requirentibus faciendā est citatio, S. ult. Inst. de pœn. tem. litig. quæ ad totam causam, nullā

33
nullā habitā ratione lōginquitatis vel propinquitatis, sufficit, *c. ult.*
X. de dol. & contum. Edictalis autem citatio fieri non debet, nisi aliis
locus esse non possit.

Adjectanea & Explicantia.

I. Omitti potest citatio in causis notoriis, aut ubi periculum in mo-
ra est, aut in iis, quæ causæ cognitionem non requirunt, aut quæ extrajudi-
cialia sunt, & citationem præcedunt, non tamen in summariis causis, Zan-
ger. de Except. p. 1. c. 2. n. 6. & seqq.

*(In summariis causis aliqualis cognitio causa requiritur, ideo citatione opus
est, Zanger. d. loc. Casus, ubi periculum in mora est, non excludit causæ cogni-
tionem, adeoq; nec citationem. Notorietas vix tanta esse potest, ut nulli exce-
ptioni sit locus, neq; ulla defensio obtineat. Si tamen huiusmodi notorietas, ex-
ceptionem & defensionem omnem excludens, occurrat, adeoq; factum nullo
jure sit justificabile, citatio rectè omitti poterit, quale exemplum facti prorsus
notorii & nō justificabilis, & in quo ab Executione initium fieri potest, propo-
nitur in c. cum olim. 12. X. de sent. & rejudic,]*

2. In causis purgationum & L. diffamari unica citatio non sufficit.

*[In cæteris causis citatio generalis ad totam causam, omnesq; ejus actus,
usq; ad sententiam definitivam inclusivè sufficit, ex stylo Camera, de quo te-
statur Gail. 1. obs. 51. n. 10. Myns. cent. 4. obs. 33. sicut & mandata Procurato-
ria ibidem non ad unicū actum, sed ad totā causā requiruntur, Gail. & Myns. dd
loc. In Processu vero L. diffamari, cum agatur de re magni momenti, de pri-
vatione Juris, interpositione perpetui silentii, & absolute diffamati, unica ci-
tatio non sufficit, Myns. cent. 3. obs. 86. sed bina requiritur, teste Gail. 1. obs. 12. n.
4. ubi & formulam sententiæ interlocutoria de secunda citatione refert. Sic
& in concursu Creditorum ad effectum præclusionis plures citationes requi-
runtur, & in contumaciam deinde pronunciat, das N. und N nunmehr
pro præclusis zu halten / aut werden nunmehr von diesem Concurs billig præ-
cludiret und aus geschlossen B. R. W.)*

3. Edictalis Citatio decernitur à Judice ordinario, quando locus non
N tutus,

utus, aut persona vagabunda est, & quidem tribus Edictis propositis, vel peremptorio uno pro tribus, l. 53. §. 1. D. de re judic. l. 72. D. de judic. c. de illicita 24. qu. 3. in med. quod & fit in Curiis Saxonis, tribus quaterdenis in quavis citatione reo assignatis.

(Delegato Principis non deneganda est facultas decernendi Edictalem citationem, Gail. 1. obs. 57. in fin. Idem de aliis dixerim, quibus universitas Jurisdictionis mandata est. In concursu quoque Creditorum, & ubi contradictor incertus est, omnes quorum interest, per edictum citandi sunt l. sancimus C. de J. delib. c. fin. de Elect in 6. Gail. d. obs. 57. n. 6. & seqq. Non tamen decernitur Edictalis citatio, nisi quando nullo modo insinuari potest simplex citatio, Clem. 1. de Judic. Berlich. 1. conclus. 1. n. 17. De jure Saxonico tempus cujusque citationis legitimum in Judiciis Curialibus olim erat quinque vel sex septimanarum, Leipz. und Wittenb. Hoffgerichts Ordn. tit. von der Ladung. Hodie precise est 6. septimanarum & 3. dierum, ita ut si à tempore factæ insinuationis dies unus atque alter deficiat, Reus non ad legitima impedimenta, sed in expensas saltem condemnari possit, Appell. Ordn. tit. Wie wieder die außenbleibende Parthenen procediret werden soll / §. würde er aber. Ord. Jud. tit. 10. §. Imfall aber Vid. Zanger. de Except. p. 1 c. 6. Unde in Judiciis Provincialibus ita pronunciari solet: das Beklagter noch zur Zeit vor ungehorsam nicht zu achten; Er ist aber auff anderweit vorgehende peremptorische Ladung/vollkommene Sächs frist in sich haltend/zu erscheinen/ und voriger Citation folge zu leisten schuldig.)

TH. IX.

Ad effectum Citationis pertinet, quod ea delegati Jurisdictionem perpetuat, C. 20. X. de offic. Jud deleg. Citantis verò Magistratus Jurisdictio variis actionibus defenditur, ex quibus prima popularis 500. aureorum, l. 7. pr. D. de Jdict. inter actorem & Fiscum dividendorum, l. 25. §. ult. D. ad SC. Silan. pœnam persequens contra eum, qui Album Prætoris dolo malo corrupit; altera in factum, adversus contumacem, qui, quod extremum in jurisdictione est, non fecit, l. un. §. 1. D. si quis jus dic. non obtemp. ut damnetur in id, de quo controversia est, d. l. un. §. fin. Tandem ne quid contra jus Magistratus à se impetrar

trar

trari paterentur, placuit ipsos & heredes eodem jure uti, quod ipsi
in alios statuissent dolo, latave culpâ,

Adjectanea & Explicantia.

(Per citationem, tanquam initium & fundamentum Judicii, res desinit esse
integra, & Jdictio fundata, ita ut morte delegantis postea superveniente non
expiret, sed perpetuetur, d. c. gratum 20. X. de offic. Jud. deleg. quod corrigit c.
relatum 19 proximè precedens, in quo litis contestatio ad perpetuandam J-
dictionem requiri dicitur, quod & Azo, vetus Interpres & Sūmator tradidit o-
lim, non inspecto c seq. 20. unde dicitur illud vulgatum in ipsum: Relatum
& gratum fecerunt Azonem vituperatum; quæ verba ex Zasio refert Hun-
nius ad Treut. hic. Caterum Jdictio delegata etiam post citationem & litis
contestationem, quando res non amplius integra est, revocari potest, quod secus
est in alio mandato, §. 9. & 10. Inst. de mādāt. Vid. Berlich. part. 1. concl. 4. in fin.)

I. In plerisque popularibus actionibus, ubi res ad certum hominem
non pertinet, multa inter actorē & fiscū dividitur, l. 25. §. ult. D. ad SC. Silan.

(Rectè addit Autor: in plerisque. Nam interdum pœna in totum Fisco
applicatur, ut ex L. Agraria in actione de termino moto, l. ult. pr. D. de term.
mot. & in actione de sepulchro violato, l. 3. §. Divus 5. D. de sepulc. violat. Regu-
lariter tamen Actori pœna applicatur, qui eo respectu post litis contestationem
dicitur Creditor. l. 12. D. de V. S. ibiq; Gœdd. qui solam actionem popularem ex
SCto Silaniano, tanquam specialem, excipit, cœterasq; omnes sub regula com-
prehendit, pœnam actori applicandam esse, & in d. l. ult. pr. D. de termin. mot.
verba in publico dari duriuscule exponit pro in populari causa, sive ex po-
pulari actione, cum tamen verba hæc ex publico, vel in publicum in pr. &
fin. d. l. 25. de SC. Silan. nihil aliud significant, quam ex fisco vel in fisco dari.
Cur ergo aliter exponeremus in d. l. ult. pr. D. de termin. mot. Bachov. hic ubi i-
stam Gœddi explicationem, quam & Hunnius hic sequitur, nunquam cujus-
quam aures ferre ait. Nec juvant illā explicationem verba fin. d. l. ult. pr. e-
jus. Actionem, petitionem ejus qui volet esse jubet, cū nō novum sit, actionē
popularem dari alicui, cui tamen pœna non in totum cedat, uti probatur ex d.
l. 25. Sic & ex L. Julia ambitus accusare quis potest, pœnam tamen pecunia-
riam non lucratur, Vid. Willig. ad Donell. lib. 19. c. 1. lit. L. ubi & cœteras Gœddi

rationes diluit, P. Theod. in Colleg. Crim. disp. 3. tb. 1. lit. H. qui Autoris nostri sententiam adstruit, & in l. 7. pr. D. de Jdicit. supra in thesi hac allegata lectione vulgatam quingentorum aureorum contra eos, qui 50. legunt, ex Pandectis Florentinis defendit, tum & ex ratione, quod pertineat hæc pœna ad vindicandam auctoritatem Magistratus, cujus album dolo malo corruptum est.)

2. Actio illa in factum ex l. un. D. si quis jus dic. non obtemp. datur quandoque Reo in actorem, si reo semel in iudicium protracto causam relinquit in pendentem, ad effectum rei ab Instantia absolvendi.

(Verum quidem hoc posterius est, de quo jam supra dictum fuit in tb. 5. sub n. 4. Sed perperam Autor hoc tribuit actioni illi, quæ descendit ex d. l. un. & tantum in reum ad contumaciam ejus coercendam concepta est, & aliam prorsus condemnationem intendit ex §. ult. d. l. un. quæ ad hoc assertum & contumaciã Actoris applicari non potest. Per extremum illud, cujus mentio fit in d. l. un. §. 1. non id solum intelligimus, quod sententiam definitivam latam sequitur, in Executione nimirum, quæ expeditâ potestas judicis finire & cessare dicitur, ut vulg. Zoef. ad d. l. un. n. 2. sed actum quemcumq; intermedium, puta si caveri jubeat Prætor, & c. isq; cui injungitur, mandato Prætoris non pareat, & sic impediatur, quo minus hoc intermedio expedito ad ulteriora deviniri queat. Quem eundem in sensum, licet appellatione non satis congruã, Dd. vulgo per extremum intelligunt principium, medium, & ultimum, in quorum alterutro nimirum tale quid intervenit, quo non facto ob contumaciam partis ulterius procedi nõ possit. Cœterum contra Autorem, qui actionem hanc privatam asserit, quem sequitur Zoef d. loc. n. 5. contraria sententia verior videtur eorum, qui popularem esse contendunt, Matth. Wesenbec. ad d. l. un. n. 3. & seqq. Gœdd. ad l. 12. D. d. V. S. in fin. Bachov. hic. rationibus firmissimis ex ipsa l. un. desumptis, in qua dicitur, Magistratum pœnali iudicio Jdictionem suam defendere, eum puniri, qui non optemperavit, & id quod Extremum est in Jdictione non fecit, Edictum hoc meram pœnam continere, nec ad id, quod interest, nec post annũ, nec in heredem dari, quæ omnia non admittunt actionem hanc privatam dicere. Nec rationem habet, lesa judicis auctoritate litigatori ex actionem concedi, qui nullã re lesus est, & damnum, quod hoc nomine patitur, aliis remediis consequi potest, eleganter Wesenbec. d. loc. verba illa: quanti ea res est, quæ Duarenum & Autorem moverunt, ad estimationem contumaciæ pertinent, quanti nimirum. Judex eam estimaverit, quæ ipsi applicanda erit, sive ipse, sive alius, ut solet in popularibus, eam actionem interraverit.]

87
3. Jure Saxon. proceditur in contumaciam, ita ut primâ, secundâ, & tertiâ vice Judicium videatur evictum, mit erstehung des ersten/andern/ und dritten Gerichts bis auff Ehehafft.

[Clarius proponitur processus contumacia in Ordin. Jud. tit. 10. Wie wieder die aussenbleibende Partheyen procediret werden soll. S. Im fall aber der beflagte. Nimirum si reus ad primam citationem non compareat, condemnatur in Ehehafft und behelffliche Wiederrede, si.e. ad deductionem legitimorum impedimentorum, quasi secundâ vice citatus deducat, vel juratò obtineat, ad respondendum admittitur: Si neutrum præstet, vel prorsus non compareat, usq; ad Executionem in die Hülffe condemnatur, hisce formulis frequentibus: Das Kläger beflagten bis auff Ehehafft und behelffliche Wiederrede/oder bis auff die Hülffe erlanget und erstanden hat. Ultramq; hanc condemnationem accusatio contumacia precedere, & de insinuatione citationis, quæq; à die insinuationis integrum terminum legalem Saxonicum, Vollkommene Sächs. frist/contineat, constare debet. Si integro termino desit aliquid, saltem in expensas condemnatur, d. S. Im fall aber in fin. Non rarò tamen in Judicio Provinciali Reus in primo termino non comparens, si quid præterea ipsi adminiculans concurrat, saltem in expensas condemnatus est, hanc pronuntiandi formulâ: Das Beflagter die Vnkosten dieses Termins auff vorgehende liquidation, und unsere ermessigung/ (aut si una cum accusatione contumacia liquidata fuerint, hoc modo: Die Vnkosten dieses Termins / so hiemit aus Richterlichem Ambt ohne End gemessiget werden) Klägern zu erstatten / auff anderweit Peremptorische ladung bey Straff Ungehorsahms zu erscheinen/und voriger citation folge zu leisten / auch auff die Vorgebrachte Klage sich ein zu lassen und zu antworten schuldig. Id quod observatum memini si Actor in accusatione contumacia simul expensas, & auff Ehehafft petierit, Reum saltem in expensas, tanquam in minus condemnatum esse, quod Advocatis pro cautela notandum.]

4. Si actor ipse sit contumax, Reus petit citationem cassari, & se ab instantia absolvi, cum refusione expensarum.

[Idem iam supra dixerat in th. s. lit. b. ubi præterea cautionem de lite proseguenda requiri diximus. Quæ de banno, ejusq; effectu remissivè interserit Autor, ut & quæ de hereditibus Magistratum habet in fin. commodius infra suis locis tractantur.]

THESES. X.

Sequitur de EDENDO LIBELLO, quem actor in ter-

N 5

mino

38
mino citationis offert, estq; scriptura actoris intentionem continēs:
alius articulatus, alius simplex, & concipitur in modum vel syllogif-
mi pleni, vel enthymematis.

Adjectanea & Explicantis.

1. Si processus per libellum supplicem petitus fuerit, Actor libellum
in termino offert; si jam ante oblatum sit, ad effectum impetrandę citatio-
nis in termino saltem reproducitur, accusatā absentis rei contumaciā.

(Hinc libellus alius dicitur simplex, alius actionis. Hujus requisita vulgaris
versiculis continentur :

*Quis, quid, coram quo, quo Jure petatur, & à quo,
Rectè compositus quisq; libellus habet.*

*Quæ ulterius exponit Rosbach. in pr. Civ. tit. 33. n. 24. ubi tribus substantia-
libus requisita libelli includit, narrationi facti, medio concludendi, & petitioni.
Potissima autem libelli pars in conclusione est, ex qua rite formata de certo a-
ctionis genere constare potest, licet nomen non exprimat, Vid. Wesenb. Pa-
rat. D. de edend. n. 7. & conclusio ampliatur, restringit, determinat, & declarat
actionem, Jas. Angel. & alii. Ceterum fundamentum agendi vel in libello
supplici contineri, vel libellus actionis unà cum citatione reo transmitti debet,
ut paratus adveniat, per supra deducta, aliàs terminus facile eluditur. Unde
sepius ita pronuntiatur: Würde Kläger beklagten mit überschickung der
Klage citiren lassen/so were derselbe/ seines andern einwendens ungeach-
tet/ zu erscheinen und zu antworten schuldig. De accusatione contumaciæ
ad diversos effectus in th. preced. jam dictum est. Porro libellus ineptus den-
tibus lacerandus est à Judice, etiam parte non petente, gloss. in l. i. D. de offic.
assess. Ord. Jud. tit. 5. pr. si scilicet ineptitudo in continenti sit notoria : aliàs
super opposita exceptione inepti libelli cognoscitur, sicut in Judicio Provinciali
pronunciari solet, Würde Kläger seine Klage förmlicher/als geschehen/ein-
richten und anstellen / So were Beklagter auff anderweit peremptorische
Ladung zu erscheinen/und zu antworten schuldig. Actor, præterea in expen-
sas cōdemnatur, Reusq; ab instantia absolvitur, Zanger. de except. p. 2. c. 14. n. 2.)*

2. In Camera Imperiali libellus articulatus obtinet, quibus petitio
conclusiva subjicitur, super qua lis contestanda est, & postea reus ad respō-
dendum cogitur. Solā enim responsione ad positiones non inducitur litis
contestatio, Gail. 1. observ. 73. n. 7. Et sic articulatus libellus etiam Jure Can.
approbatus est Clem. sæpe de V. S.

Ratio

89

(Ratio articulati libelli in foro Juris Communis inde sumenda videtur; quia Juramentum calumniae ab actore & reo exigitur, S. 1. Inst. de pæn. rem. litig. l. 1. & 2. C. de jurejur. prope. calumn. dand. Ut itaq; perjuriam facilius evitentur, placuit. certis articulis includi narrata & contenta libelli. Jure Sax. cum sublatum sit juramentum calumniae generale, saltem consuetudine contraria, Vid. Coler. decis. 17. n. 10. non opus fuit remedio hoc declinandi perjurii, positionibus nimirum & articulis, sed uti in sequenti rectè asserit Autor:

3. Eo jure libellus articulatus ex officio Judicis, etiam parte non petente, rejicitur, Const. El. 2. p. 1. In simplici autem libello per responsionem ad singula capita & puncta in specie litis contestatio facta intelligitur.

(Adde ord. Jud. tit. 5. pr. ibi: die Klage soll nicht articuliret/sondern mit kurzer erzählung der geschichte förmlich und schließlich vorgebracht werdē. Ratio abrogationis satis justa, cum in articulato libello per partes quasi lace- rentur capita cause, & sic involvantur potius, quam expediantur; ut taceam ambages responsionum, quae ad singulos articulos fieri debent. In criminalibus quoq; libellus articulatus rejicitur, ob generalitatem d. const. 2. possunt tamen articuli continentes indicia, quibus probatis reus, negans crimen, torturae sub- jici posset, libello accusatorio subjungi, de qua vetustissima consuetudine testa- tur Dan. Moller. ad d. const. 2. n. 7. Per inquisitionem vero ubi proceditur, ar- ticuli certi formandi sunt, Ordin. Polit. de Anno 1612. tit. Justitien sachen n. 5. ad crimen exactius cognoscendum, & processum inquisitionis citius finiendum, Vid. Dn. Carpz. pr. Crim. p. 3. q. 113. n. 20. & seqq. Eum in finē ita pronunciamus, Das Inquisiten begünstigung oder verbrechen in gewisse articul zu verfaß- sen/und er darüber zuvernehmen/ &c.)

4. In exordio libelli nomen Judicis, Actoris, & Rei, in propositione causa petendi, in assumptione facti narratio, in conclusione petitio ponitur.

(Plura de libelli formatione vid. ap. Jason. in l. 3. C. de edend. & formulam libelli in rei vindicatione, in actione pro revocanda Emphyteusi cōmissa, & acti- one injuriarum apud Rosbach. pr. Civ. tit. 33. n. 49. & seqq. Vid. Kottschük in process. art. 10 sub formul. libell. 37. Ex ordinatione judicii Saxonici tit. 7. pr. speciatim requiritur ab Advocatis, ut nomina Clientum & cognomina, Nobi- liumq; loca & edes mox in prima deductione bey dem ersten satz / exprimant, nec generali saltē nomine Actoris, vel Rei, Leuterantis, Leuterati, producentis, producti citantur.)

5. In actione personali causa tantum remota, in reali proxima expri- menda est.

(E. gr.)

(E. gr. in actione personali causa proxima est obligatio, remota, contractus. Hec exprimenda est: Peto 10. ex mutuo, empto, vendito, &c. Proximam autem exprimi non sufficit, E. gr. peto 10. ex obligatione, cum libellus inde fiat incertus. In actione reali causa proxima est dominium, remota est ipsum jus agendi, sive factum, domini constitutum. Causa proxima expressio sufficit, E. gr. peto rem jure domini, vel quasi, nec opus est remotam exprimi, e. gr. peto rem meam ex titulo legati, donationis, traditionis, &c. Vid. Gail. 1. obs. 61. n. 4. & seqq. Omissa tamen causa proxima vel remota libellus non vitiatur, modo petitio apta sit, ex qua jus actoris intelligi possit, Gail. d. loc. n. 13.]

6. Nomen actionis exprimendum est Jure Civ. l. ult. C. de interd. non etiam Canonico c. ult. X. de lib. oblat. c. 6. de judic. Inepta autem actione nominata libellus non vitiatur.

(Non probatur Auctoris assertio ex d. l. ult. & contraria sententia videtur verior. Quanquam enim ibidem dicatur, actionem esse exprimendam, & in l. 1. D. de edend. eam edendam, & in l. 33. §. ult. C. de Episc. & Cleric. proponendam esse, non tamen de exprimendo nomine actionis id intelligendum est, sed de natura & qualitate ejus, ex qua ipsum nomen facile pateat. Hoc autem expresse nominandum esse nullibi cautum in jure reperitur. Nec hodie dubium est, quin omitti possit nomen actionis: nisi quando causa in libello proposita plures actiones producit, ut in casu l. 1. 2. & pen. D. arbor. furt. caes. Gail. d. obs. 61. n. 21. Dn. Carpzov. p. 1. const. 2. def. 13.

TH. XI.

Clarus autem & certus, non obscurus debet esse libellus, nec alternativè conceptus: quod si evidenter ineptus fuerit, judicium & sententia ipso jure nulla est, c. 3. X. de empt. & vendit. quæ ineptitudo ex conclusione potissimum animadvertitur.

Adjunctanea & Explicantia.

1. Ex apta positione sustinetur libellus, quamvis obscurus, maximè si de obscuritate nihil opponatur, modo ex actis declarari possit.

(Aptus & clarus libellus requiritur, tum ut reus deliberare, an cadere, an contendere velit, tum ut Judex certam sententiam libello conformem proferre possit. Obscurus autem fit libellus ratione equivocationis, generalitatis, alternative, locutionis non coarctate, infinitatis, Vid. Gail. 1. obs. 62. n. 3. Laborandum tamen est pro validitate libelli, etiam cum impropriatione verborum, ita ut procedat super competente, altero incompetente, quod etiam in libello continetur, omisso, Mynsing. cent. 4. obs. 5.)

2. Incertus libellus ob iustam actoris ignorantiam admittitur, ut & generalis in petitione hereditatis, & in dote: non autem in Criminalibus.

(Prius Actoris assertum verum est, dum modò superveniente scientiâ Actoris, vel aliunde incertitudo illa declaratur, ita ut reus legitimè respondere, ac Judex sententiâ ferre possit. In petitione hereditatis ob varietatem res ab initio definiri possunt, cum hereditas sit aliquid univertsum, continens jura & corpora, res hereditarias univertsas ac singulares, unâ cum fructibus & accessionibus, quæ hereditatem, tanquam jus univertsitatis, augent, Wesenb. Parat. de petit. hered. n. 9. 11. Ideo generaliter quis potest petere hereditatem Titii, cum heres est, vel ex testamento, vel ab intestato. Dos quoq; generale quia est, pluribus rebus constans, & augmentû recipiens ex fructibus, & aliis. Generalis itaq; libellus admittitur. Idè dixerim de actione pro socio, negotiorû gestorû, tutela, quæ judicia sût generalia, l. 38. pr. D. pro soc. In Criminalib; generalis libellus nō admittitur, puta quis accusat de omnib; criminib; quæ admisit, cū in singulis speciali expressione sit opus.)

3. Admittitur libellus alternativus in actione hypothecaria, & in materia l. 2. C. de rescind. vendit.

(In priori, hoc modo, ut petat quis vel traditionem rei in hypothecâ constituta, vel solutionem debiti pro quo de hypotheca conventum erat, l. Si fundus 16 §. 3. D. de pignor. Audiendus enim est debitor, si hypothecam retinere, & debitum solvere velit, l. 2. D. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. In posteriori ita, ut emptor vel pretium suppleat, vel rem emptam restituat, d. l. 2. C. de rescind. vendit. c. Cum dilecti 3. §. c. pen. X. de empt. & vendit. Gail. obs. 62. n. 10. ubi in Camera libellum, qui simpliciter restitutionem rei emptæ continet, admitti, sententiam tamen alternativè, aut ad rem restituendâ, aut ad pretium augendam, concipi testatur. His addenda est petitio hereditatis, ut alternative quis petat aut ex testamento, si quod factum est, & exhibeatur, aut eo deficiente, ab intestato, Wesenb. d. loc. n. 8. & 9. Idem est si in certitudo libel. i proveniat ex facto alieno, qualis casus in l. 1. §. quia autem 4. D. quod legat. Vid. Gail. d. obs. 62. n. 4. & seqq. Rosbach. Pr. Civ. c. 33. n. 47. Ut & si alternativa ex conventionem partium orta sit, puta si quis hominem Stichum, aut 10. aureos promiserit. Quo casu necessario alternative concipiendus est libellus, & alterum, vel Stichum, vel 10. aureos, tantum petendo, causa plus petere dicitur actor in §. si quis agens 33 Inst. de act. vers. huic autem. Bachov. hic.)

4. Ex cōclusionione libellus sustineri potest, quæ tamē in Criminalibus necessaria nō est, modò loc; & tēp; patrati criminis, imo & dies, petente id accusato, exprimatur.

(De vi conclusionis supra dictum hac t. b. sub. n. 1. In criminalibus conclusionione opus nō est. Nihil enim actori dari, vel fieri petitur, sed agitur aut ad pœnâ corporalem, aut pecuniariam, fisco applicandam, nec accusator concludit, sed lex, Gail. I. obs. 61. n. 18. & seqq. Loci & tēporis expressione opus est, ut reus negativam, loco & tempore coarctatâ, probare possit, Gail. d. obs. 62. in fin. Quod autem in l. 3. pr. D. de accus. dicitur, nec diem, nec horam exprimendam esse, recte de casu accipimus, quo accusatus id non petit.)

TH. XII. Et offertur libellus primum quidem Judici, deinde & parti adversæ, aut b. offeratur C. de lit. contest. & quidem in omnibus causis, ex quibus Judicium constituitur: exceptis causis summariis, & exceptionibus à reo

propositis, & quibusdam aliis.

Adiectanea & Explicantia.

I. Offeritur libellus parti adversæ, aut in loco domicilii, si pluribus locis bona possideat, aut, si eo destituatur, ibi, ubi maximâ bonorû partē habet.

(Ex maxima enim parte bonorum presumitur domicilium, si alias de eo non constet. Cæterum hic conferenda sunt illa, quæ de foro competentis dicta sunt disput. preced. de J. dict. th. 8. & quæ de insinuatione citationis in simili habentur supra hanc disp. in th. 4.)

2. In causis sumariis solenni oblatione libelli opus non est, Clé. sæpe de V. S. (Causis sumariis adjungit hic Autor in thesi Exceptiones à reo propositas. Sed meo iudicio rectè notatur à Bachov. hic, quia libelli oblatio, & exceptiones à reo. propositæ quantum ad hoc caput attinet, nihil commune habent; nisi forte id intendat Autor, uti ex allegata Clém. sæpe colligi potest, quod Judex in sumariis causis exceptiones frustratorias repellere debeat, quod quidem per se verum est, hic tamen, ubi de oblatione libelli agitur, minus commodè applicatur. Quanquam a. in causis sumariis non requiratur solennis libelli oblatio, qualis qualis tamen petitio & facti narratio necessaria est, cum & in sumariis deliberare debeat reus, an cedere velit, an contendere, Vid. Zanger. de except. p. 1. c. 2. n. 14. Dn. Carpzov. 1. const. 2. d. §. 1. 17. Quenam porro sint cause sumariæ prolixius deducit Jacobus Schultes Obj. for. 3. ubi n. 14. & seqq. exempla causarum sumariarum 150. recenset. Adde Zinger. p. 1. de except. c. 1. n. 60. & seqq. ubi 27. refert ex ord. Cam. p. 3. tit. 2. §. und damit Alias qua libet causa naturâ suâ ordinaria est, & plenam cognitionem requirit. Unde sæpius ita pronunciatur: Würde Kläger eine ordentliche Klage einzubringen und beklagten gebürlich darzu citiren lassen/ So were derselbe darauf sich einzulassen und zu antworten schuldig/ und er gieng also dan in der sachen ferner was recht ist.)

3. In causis quoque modicis vilium personarum, Nov. 17 c. 3. cum inter subditos cognoscit Episcopus, Nov. 87. pr. aut inter religiosos de rebus religiosis c. ult. X. de stat. Monach. ut & in causa matrimoniali, in accusatione Apostatæ l. 4. C. de Apostat. in postulando tutore suspecto, §. 3. Inst. de susp. tutor. in criminibus notoriis l. 7. C. de accus. libelli solennis oblatione opus nō est.

(Non ita indistinctè hæc omnia procedunt, nec personarum, nec objecti, vel causarum qualitas semper processum summarium, aut omissioni solennis libelli locum facit; sed sæpe inter viles personas, inter subditos, causa religiosa, causa matrimonialis tanti momenti est, ut ordinariè tractetur. De crimine Apostasie, & de suspecto tutore postulando nihil habetur in locis alleg. quod absq; libello procedi debeat; sed id saltem, quod hujus accusatio quasi publica sit, & omnibus pateat: illius vero criminis indagatio nullis finita temporibus arceatur. Notoria multa dicuntur, quæ nō sunt, nunquã tamen defensio reo auferenda, nec alias in sumariis quibuscunque adeo tumultuariè procedendū est, sed ea, quæ ad substantialia Processus pertinent, & Jure naturali inducta sunt, omitti debent. Ideo iudicis arbitrio hic multum tribuendum esse existimo.)

Th. XIII Clausulæ item in libellis aliæ post exordiū, aliæ post facti narrationē, aliæ post conclusionem apponi solent, de quarum usu latius tractant Dd. Libellum autem usque ad sententiam definitivam in eodem iudicio corrigi ac mutari posse verius puto, §. 34. Inst. de action.

ada

1. Clausula de nō adstringēdo se superflue probationi, post exordiū libelli apponitur.

[Frequentissima est hac Advocatorum clausula: bedinget ihm alle und jede wolthaten der Rechte/insonderheit mit überflüssigen beweiß unbeladen zu sein/darüber fern sich protestirende. Qua clausula parum efficaciae habet, cum Judex ipse ex officio nō presumatur superfluis probationibus onerare Actorem vel reum, aut, si probationes injungat Judex, pars, virtute hujus clausulae, ab eo onere sublevare se non possit. Talis farina est illa clausula, in exordio usurpari solita, qua actor de narratione aut libelli qualitate protestatur. Vermittelt solcher Protestation sehet er klage und zuspruch/nicht in form eines zierlichen Libells/sondern schlechten erzählung des facti an sich selbst/kürzlich sagende/parvo & irrito effectu, cū necesse sit in simplici quoq; narratione facti omnia substantialia libelli contineri, aut, si iudex aliter libellum formandum esse censuerit, non certe ideo liberabitur actor, quia clausulam illam premisit. Similis & ista, quā protestatur reus, de se non adstringendo, nisi in quantum, da er durch sein erscheinen in diesem Gerichts zwange mehr und höher/als er zu recht verbunden/sich nicht eingelassen haben wolte. Quā clausula imperiti Causi dicit, à partibus Actoris stantes, sepe perperam utuntur, cum reorū propria sit, nec quidē semper, sed tunc demum si exceptionem declinatoriam fori opponere velint, quae ipsa tamen clausula nihil suffragatur, nisi etiam exceptionem illam opponant. Nam omitendo eam, in iudicem consensisse videntur. Interim totā die clausulis istis, vel aliis, personare audimus subsellia iudicū, easq; ad amussim recenseri ab Advocatis, saltem ne imperiti, aut officio suo non rectē defuncti videantur.)

2. Post facti narrationem additur illa clausula, se hactenus amice interpellasse reum de solutione, sed nihil obtinuisse.

[Nec necessitatis, nec alienius effectus est ista clausula. Nec olim denunciationse necessarie erāt §. 15. Inst. de Action. nec hodie interpellatio extrajudicialis requiritur. Quāquam, si reus judicialiter conventus, oblato libello, mox offerat se ad solutionem, non cōdemnerur in expensas, si extrajudicium interpellatus non fuerit, Schneidev. ad §. 1. Inst. de action. n. 24 & ad d. §. 15. n. 7. Ad quem effectum, servandū nīm. expensas, interdum extrajudic. aliter interpellasse prodest.)

3. Post conclusionem haec ferme clausulae apponuntur: Peto reum condemnari, & legitimis remediis compelli; peto restitui cum pertinentiis, item salvo jure addendi, minuendi, &c.

[Nullā horum opus est, uti rectē Autor. Non primā, quia petitio condemnationis continet executionem. Non secundā, quia vox restituendi omnem causam continet, l. 22. l. 75. D. de V. S. Non tertiā, quia nihil contra Jus commune operatur, quo jam definitum est, an, & quatenus libellum mutare, addere, minuerē licitum sit, de quo in seqq. Vid. Berlich p. 1. concl. 28. n. 34. Huc etiam pertinet vulgarissima illa clausula: Super his omnibus peto ius & justitiam administrari, omni meliori modo. Dieses/oder was sonst nach gelegenheit dieser Sachen hette gebeten werden sollen / können oder mügen/ stellet Kläger cum imploratione Nobilissimi Judicis officii zu rechtlichen erkentniß; desuper jus & justitiam administrari petens. Quam clausulam tanta efficacia

94 *cacia dicit Gail. 1. obs. 61. n. 11. ut ejus virtute omnis actio, & omne remedium ex nar-*
ratis resultans, in iudicium deductum esse videatur, quodq; Judex ob id super non ex-
pressè petitis pronunciare possit Unde Felin. & alii clausulam hanc salutarem herba Be-
ronica comparant, eò quod omnia libelli vitia sanet. Non putaverim tanta virtutis
esse hanc clausulam, cum Judex ipse sciat, quousq; limites officii sui progrediantur, quo-
usq; ex conclusione narrata libelli salvari possint, & sic etiam non imploratus officium
suum impertiri, & super non petitis, si qualitas cause & actionis id postulet, pronuncia-
re queat. Contra narrata verò libelli si ex iis medium concludendi prorsus non pate-
at, clausula illa nihil operatur, Add. Ord. Jud. tit. 5. § Nachdem aber. Ullimum illud de
reservatione deductionis ulterioris, nullius momenti est, cum Judex, nondum sufficien-
ter auditis partibus, sententiam non ferat.]

4. Mutato libello post litis contestationem olim novo iudicio opus erat. Ex
Constitutione verò Zenoniana eodem iudicio condemnat Judex, § 34. Inst. de Actio-
on. modò damna reo sarciantur, ob temerariam petitionem.

[*In d. § 34. saltem de casu agitur, quo libellus in quantitate mutatus erat. Ideo generali-*
ter ex eo questio hæc de mutatione libelli decidi non potest. Imo nec ex d. §. probatur,
quod intendit Autor, mutari posse libellum usq; ad sententiam Verior est communis Dd.
sententia, saltem usq; ad litis contestationem admitti mutationem libelli, l. 23. D. de
judic. ubi in iis, quæ post iudicium acceptum, i. e. post litem contestatam accidunt, novâ
interpellatione, i. e. novo libello opus esse dicitur, ibiq; Gotbofr. & Dd. Accedit ratio,
quia per litis contestationem quasi contrahitur in iudicio, l. 3. §. 11 D. de pecul. à quo in-
vitâ alterâ parte recedere haud licet, l. 5. C. de O. & A. Vid Berlich. p. 1. concl. 28. n. 2. & 3.
ibiq; complures ab eo allegatos.]

5. Jure Sax. post gvarandam præstitam (quæ fit iudici, etiam absente reo, manu
stipulatâ ad baculum iudicis in Civilibus, aut ad evaginatum gladium in Criminali-
bus, Landr. lib. 2. art. 15. König in process. c. 8.) aut, eâ omisâ, post litem purè conte-
statam mutatio libelli non permittitur, sed novo libello opus est, refusis prius ex-
pensis, Const. El. II. p. 1.

[*Præstanda est gvaranda ab actore, si scilicet reus id petierit. Unde ita pronunciatur:*
Das der Kläger die geforderte Gewehr der Klagen würcklich anzuloben / aut tali
formulâ: Würde Kläger die geforderte Gewehr würcklich erstellen / in massen Ihm
zu thuen obliegt / So were beklagter auff die erhobene Klage sich einzulassen und
zu antworten schuldig. Estq; gvaranda huius effectus (1) Evictio, ne scilicet alius eâ-
dem actione pulset reum. (2) ne post eam libellus mutetur. Idem dispositum est in Ord.
Jud. tit. 5. § Da auch. Pura autem sit litis contestatio necesse est. d. tit. 5. d. const. 11. Si cõ-
ditionam, ante eam impletam mutationi locus est. Declarare etiam libellum obscurum
post litem contestatam usq; ad sententiam, Dd. in l. 66. D. de iudic. & in iudiciis univer-
salibus & generalibus emendare, & plures res addere licet, Vid. Zanger. de Except. p. 2. c.
21. n. 69, Berlich. p. 1. concl. 28. n. 27. & 32.




17.
x-
Re-
tis
100
L.
d-
e-
de
n-
Ex
tio
li-
r,
d.
o
o,
n-
3.
u
i-
e-
x-
:
li
n
d
ia
d.
i-
e
r-
e.

OBA 1024

ULB Halle 3
005 134 986


konst





THESIUM TREUTLERIANARUM

VOLUM. I.

DISPUTATIO IV.

67 20
06A 1024

DE
IN JUS VOCANDO.

PRÆSIDE

GOTFRIDO SVEVO, D. ET P. P.

Respondente

JOHANNÉ-GEORGIO PASCHA,
Dresdâ - Misnico.



† 1678

THESIS I.

IN jus vocare, quod experiundi juris causa fit, l. 1. pr. D. de edend. veteri jure actor solus, nullo interdum adhibito Magistratus jussu, ejusve apparitore, poterat, quem si reus sequeretur, actionis editio necessaria erat, d. l. 1. pr. posteaque Prator, cognitâ aliquo modo causâ, si dandam actionem putaret, judicem constituebat: quam cognitionem de jure proximè sequebatur citatio ad judicem facti disceptandi causâ, *Uultei. discept. c. 2.*

Adjunctanea & Explicantia.

I. In jus vocare & in judicium vocare interdum promiscuè usurpantur. l. 1. D. de in jus voc. l. 2. §. 2. D. qui satisd. cogant. l. 28. pr. D. de administ. tutor. diversa tamen sunt.

L

In

Wittke